

Forfatter: Ewald, Johannes

Titel: PYROLOGIA SACRA SIVE DISSERTATIO CRITICO-SACRA DE IGNE (1763)

Citation: Ewald, Johannes: "PYROLOGIA SACRA SIVE DISSERTATIO CRITICO-SACRA DE IGNE (1763)", i Ewald, Johannes: *Johannes Ewalds samlede skrifter*, Gyldendal, (1969), s. 44. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/catalog/adl-texts-ewald03val-shoot-workid57755/facsimile.pdf> (tilgået 24. april 2024)

Anvendt udgave: Johannes Ewalds samlede skrifter

PYROLOGIA SACRA SIVE DIS-  
SERTATIO CRITICO-SACRA  
DE IGNE  
(1763)

B. L.

QVICUMQVE, quamvis exiguam, in sacro co-  
 dice cogitando, posuit operam, mirificam pla-  
 ne cunctisque elogiis majorem, Dei nostri sapien-  
 tiam, nullo negotio perspicit. Omne punctum laturæ  
 sacræ literæ, in eo non acquiescunt, ut ordi-  
 nem salutis, quique eo spectant, articulos funda-  
 mentales, verbis exhibeant planissimis, non id so-  
 lum agunt, ut lac, ut cibos maxime necessarios  
 egentibus præbeant, verum & in eo sunt, ut hi-  
 storizæ inserviant, & habent quoque, quæ ingenio  
 humano, novi quippe cupido, arrideant ænigma-  
 ta. *Δυσωρητοῖς* hisce, maximum à Spiritu Sancto  
 usum & intendi & obtineri, non est qui negat. Iis  
 scilicet, curiosa hominum ingenia, ad sacra scruta-  
 anda (sanctissimam sane actionem) haud raro  
 alliciuntur. Iis quoque intenti interpretes, si non  
 ad salutem necessarias, utiles tamen veritates sæ-  
 pius indagarunt, Iis denique (ut taceam reliqua)  
 eo gratiores reddimur, erga perspicuas eas, quæ  
 salutem nostram spectant, veritates. Neque igitur  
 male, neque actum agit is, qui talibus eruendis  
 tempus impendit. Parum vero admodum, si non  
 plane nihil, hisce in materiis, sæculo nostro vide-  
 tur relictum. Eo, quod fere doleo, jamjam ventum  
 est, ut & in sacrum codicem, quadrare possit tri-  
 tum istud: Nihil dici potest, quod non dictum sit  
 prius. Quocumque nos in Critica Sacra vertimus,  
 omnia à doctissimis viris exhausta reperimus.  
 Fuerunt, qui generalioribus universum codicem  
 commentariis ornarunt: fuerunt &, qui de singulis  
 specialius egerunt. Quod igitur à nobis exspecta-  
 tur, vel exspectari potest, quum ad veterum me-

talla fato nostro simus damnati, vel est, ut cogitata veterum, mutatis verbis, pro nostris vendamus, vel, si candidi magis habemur, ut disertorum breviora in longum, longiora in compendium trahamus, vel ut modum compositionis, vel voluminis formam, vel ipsum titulum tantum mutemus. Eo magis de ætate nostra hocce fovetur iudicium, quo audacius est novas proferre, quo difficilius prolatas evincere sententias. Hæcce, lector benignissime, quum tuum de Pyrologia mea iudicium facile viderem, præmittere non dubitavi. Non equidem ignoro, quæ quantaque promittat titulus iste, quem dissertatiunculæ meæ præfixum legis, plane sesquipedalis, neque eum humeris meis graviora polliceri diffiteor. Etenim tractatum de igne, & Physico-Mathematicum, & Historico-Criticum, & Critico-Sacrum & omni numero absolutum promittere videtur. Quam parum vero his respondeat, quicquid est dissertatiunculæ nostræ, non est, qui non viderit. Id, quod foret Pyrologiæ perfectæ, cuncta, quæ de igne dici possent, longa serie non recensui. Quasdam tantum quæstiones, quasdam meditationes, digniores, meo iudicio, quæ notarentur, attuli, prout potui brevissimè. Melius igitur forsitan & sincerius scripsissem: Annotationes quædam Critico-Sacræ de igne, ex permultis doctorum libris excerptæ & in aliam formam redactæ. Quantum vero hocce, ab omni Euphonia discederet, quem fugerit, non est.

Immo, quem latet, titulum sæpius dissertationi pretium imponere, haud sane minimum? Quum denique quædam, & in his ordine prima, pro meis ipsius cogitatis vendere audeam, inscriptionem hanc, in quam ave tam felici, incidi, lector benignissime, ne supra modum mireris, Pyrologiam meam benigno animo legas, & si quædam titulo parum respondeant, patienter ea feras, oro, rogo, obsecro.

Si non alii, Joh. Jac. Schmidius, in Physico suo Biblico, ejusque capite de igne, habet quædam, quæ eundem, ac dissertatio mea, titulum adspirare possent. Sed, quum Schmidius nec in eo sit, ut specialiores quaslibet de igne quæstiones recenscat, nec istius, qui nostri propositi est, ordinis rationem habeat, in totum ab eo abeundum esse, necesse putavi. Neque istius, ut cuilibet videre est, sed talem in Pyrologia mea observabo ordinem, ut, eam in quatuor sectiones redigens, primo de igne stricte & in sensu proprio sumto, postea de improprie ignis in sacra scriptura significationibus, deinde de penis igneis, quarum mentionem facit sacra scriptura, & ultimo de igne sacro, agam, prout poterò, brevissime.

## SECTIO I

## DE IGNE STRICTE SIC DICTO

Id quod Hebræis est  $\text{אֵשׁ}$  et Græcis  $\text{Πῦρ}$ , variis quidem sacro codici venit nominibus, sed, quum Philologica vocum analysis scopum meum excedat, hæc tacito pede prætereo. Quod ad ipsam ignis essentiam atque naturam attinet, tam varia hæc de re sentierunt, Persæ, Thales, Plato, Aristoteles, paucis, veteres pariter ac recentiores Philosophi, ut iis juste conscribendis, ingentia volumina parum sufficerent. Quicumque igitur varias has sententias, variaque pro quolibet adducta argumenta, legere voluerit, hunc missum volumus ad Lexicon Universale in Art. vom Feuer. Quod ad me, unicum Hamelii(a) de igne pronuntiatum, silentio præterire nequeo: »Naturam ignis, inquit, vulgo quidem haberi notissimam, philosophisque nullum exemplum esse paratius, quo formarum reductionem & generationem rerum omnium explicent: attamen, si rem acriori animo perpendamus, nihil fere æque involutum et explicatu arduum, quam ignis ipsius genesin, naturam & phæ-

(a) Du Hamel Phys. gener. T. I. 2. p. 74.

«nomena». Hac in parte cum Hamelio faciens, reliqua, quæ de doctorum de igne judiciis adferri possent, intacta relinquo. Quod vero ad rem nostram facit, primus sacrarum literarum conspectus, ipsa historia creationis, exhibet aliquid, de igne, dignissimum meo iudicio, quod notetur. In rerum creaturarum specifica enarratione, sive res ipsas, sive ordinem spectes, Moses procul dubio id egit, quod fuit & boni & divinitus inspirati historici. In principio nihil fuisse, deinde Chaos, ex eo aërem, aquam & terram, ex his reliqua, suis quæque diebus formata esse, summo ordine exhibet. Quo vero hoc magis in Mose mirandum, eo dignius mea sententia est notatu, eum, ne tantillum habere de terrestris ignis origine. Quod si terrestrem ignem a cœlesti diversum iudices, sol, sidera, omniaque cœli ignita corpora eorumque creatio, ne hilum, ut iudico, ad rem nostram faciunt. His diutius perpensis, in varias Scyllas incidi. Iam iam a rapidis sententiarum fluctibus absorbendus, sequentes quæstiones literis mandavi, ad nullas sententiarum partes transiturus, cuncta, vel argumentorum valori, vel æquo lectoris iudicio relicta.

25 Qvæstio I.) An alius, præter istum, quem soli debemus, ignis adsit, an non? Si adsit, cur Moses mentionem ejus faciat plane nullam? Si non adsit, quomodo concipi possit ignis in corporibus, quam longissime à Sole absentibus?

30 II.) Si ignis terrestris, quatenus efficax est & visibilis, motui, vel potius collisioni corporum duriorum originem ita debet, ut absente motu, ignem terrestrem numquam vidissemus vel ullos ejus effectus experti fuisset; si motus est qualitas ignis constitutiva, qua sublata, ignis ad minimum id quod ignis est facere nequit (ut ex definitione ejus, quod constet ex minimis, celerrime motis terrestribus, vel sulphureis particulis, colligitur) an ignis tunc, præter istas, quæ in corpora pene-

trarunt, solis igneas particulas, in corporibus frigidis quiescentibus concipi queat? Si concipi nequit, an tunc tempore creationis, adfuit ignis terrestris? An, Mose tacente, jure adfirmatur, terram ex quatuor elementis creatis constare? <sup>5</sup>

III.) Anne particulæ istæ igneæ (de igne culinari non loquor) quas in chalybe, ejusdemque materiæ corporibus, ante motum existere volunt Physici; istæ, quæ particulas alias terrestres, chalybeas, sulphureas in scintillas mutant: derivari possunt <sup>10</sup> ex aëre, eadem veritatis specie, ac ex chalybe vel silice? Certum est Physicis, aërem continere particulas igneas, licet admodum paucas, sufficientes tamen ad calorem, suumque sine dubio facientes, ad nonnulla Meteora. Neque me quidem fugit, <sup>15</sup> aëris pariter ac aquæ particulas, nunquam tanta particularum ignearum copia cingi posse, ut ipsæ candentes appareant, flammamve, alia materia inflammabili absente, producant; idque ob minorem eorum gravitatem specificam. Hoc vero, me <sup>20</sup> iudice, non prohibet, quo minus vehementius motæ in materiam satis gravem ignisque capacem transeant, eamque candefaciant. Hanc quæstionem, si Physicam in usum receptam spectamus, plane paradoxam, ne literis quidem mandassem, <sup>25</sup> si nihil fecisset, ad illustrandam eam, quæ præcedit, quæstionem: An adsit ignis terrestris, originem a Sole non trahens. Neque hanc litem, de igne, ex chalybe vehementer concusso exsiliante, ex aëre derivando unquam faciam meam. Unum hoc as- <sup>30</sup> sero: Ortum particularum ignearum, in aëre contentarum, facillime concipere possumus, quum scilicet Soli debeantur: Quomodo vero chalybi vel ejusmodi materiæ insint, tacente revelatione, nihil asserente experientia, ne hilum scimus. Aër <sup>35</sup> absque motu, effectu suo monstrat, se particulas igneas continere. Regetes aërem nunquam quiescere. Sed si & in totum quiesceret aër, eadem tamen particulæ igneæ, utpote a Sole dejectæ in ea

adessent, quod & exinde patet: Quo tranquillior aër est tempore æstivo, Sole splendente, eo magis incalescit. A Silice e contrario, ab ejusmodi materia, si quiescit, omnis abest effectus, omne  
<sup>5</sup> indicium ignis. Non ignoro, Physicos hæc regere: Ab absentia ignis, ad absentiam caloris, quidem potest concludi, sed non vice versa. Calor, inquit, non est nisi relativum quid, quod se per sensationem sensuum nostrorum determinat. Ad  
<sup>10</sup> rem suam confirmandam sequens adducunt exemplum: Si unam manum in sinum miseris, alteram in libero aëre pendere sinas, utraqve vero ferrum aliquod attingas; ferrum calidæ manui videbitur frigidius; frigidæ calidius. Hocce vero, quum in  
<sup>15</sup> utraqve manu & calor & ignis, idque conjunctim adsint, rei eorum parum inservire videtur. Sive manum frigidam in sinum mittas, sive manu frigida ferrum contingas, si particulæ igneæ, utpote ex calidiore corpore in frigidius, in eam redierint,  
<sup>20</sup> statim calefiet, ignisque effectum suum necessario monstrabit. Id, quod calor se determinat, per sensationem sensuum nostrorum, quum sensus nostri nunquam calorem sine igne sentiant, nihil aliud est, ac calor se determinat, per ignem, quem  
<sup>25</sup> sentimus. Itaque proprie loquendo calor non est relativum ad sensus nostros, sed ad ignem quem sentimus, & quidem relativum cum correlato suo necessario conjunctum. Neque ad rem facit, istud Hooekii experimentum, quo candelam, radiis igneis lunaribus vitro caustico exceptis, accendit,  
<sup>30</sup> nullam vero in thermometro admoto, caloris mutationem producere potuit. Nemo enim est qui dubitat, eas particulas igneas, quæ vitro caustico exceptæ candelam accenderunt, etiam cum calore fulsæ conjunctas, an vero hæc thermometro  
<sup>35</sup> æque bene ac vitro caustico excipi potuerint; an exceptæ visibilem in therm. mutationem producere potuerint, alia est quæstio ad nostram nihil faciens. Forsitan igitur & hic, ut in aliis ab effec-

tus absentia ad causæ defectum concludere possemus. Si ignem ex ipso chalybe vehementer concusso, absque aëris ope prodire contendis. Experire; concute in vacuo. Ignis sane, aëre absente nullo modo vel prodibit, vel manebit. Regeres, 5 aëre esse determinandum ignem ex ferro prodeuntem: sed cur non potius ferro, vel ejusmodi materiis aliis determinandæ sunt particulæ igneæ ex aëre prodeuntes. Qvo durius est aliquid atque solidius, eo plures eoqve viciniore habet partes, 10 eoqve majorem habet vim resistendi particulis subtilioribus. Resistere vero & terminos ponere, determinare et circumscribere, hic, ut sentio, unum faciunt, & synonyma appellari queunt. Ferrum igitur melius particulas igneas determinare 15 potest, quæ ex aëre prodeunt, ac aër eas, quæ ex ferro. Inter alios Johann. Kryger in Physica sua §. 248. habet, quæ his maxime adversari videntur. Thesis Auctoris est. Quia ignis tantum ex calidioribus corporibus, in frigidiora per motum transit; 20 in ferrum malleo ad vehementem calorem usque ictum ne quidem transire posset ex aëre, si ambo æquo caloris gradu essent prædita, quanto vero minus, quum ferrum longo majorem habeat gradum caloris ac aër. Sed posito primo, 25 tunc caloris gradibus paribus, ad præcedentem Auctoris Thesin confugere possemus, secundum quam, corpus, quo densius est atque gravius, eo vehementiores atque plures ignis particulas ad se trahat; quum vero ferrum aëre multo sit gravius, 30 potius, ut judico, affirmari potest, quod ferrum ex aëre particulas igneas trahat, quam quod aër ex chalybe. Si vero ferrum malleo cusum aëre sit calidius, nonne speciem veri haberet, si diccerimus, motum tantum obstare, quo minus particulæ igneæ ex aëre in ferrum continuo penetrantes, 35 in aërem frigidiorum revertantur, quum, cessante motu, eas statim regredi res sit manifesta? Sed neque charta neque tempus sufficit his quæstioni-



bus majore lumine donandis, quod alias haud magni foret negotii. Concesso igitur, quod, ut antea monui, facillime concedo, igneas particulas praexistere in ferro, neque ex aere in ferrum maleo ad calorem usque ictum transire posse, utpote ex frigidiore corpore in calidius: quaestio tamen manet, anne particulae istae igneae, quas in ferro ante motum existere volunt, primo ex Sole per aërem in ferrum transire potuerint? Quaestio manet, an Sole absente, ignis particulae in terra vel chalybe concipi queant? Et haec sola est quaestio, quam notari volumus. Ignem hic forsitan mihi oblicies subterraneum. Hunc a Sole ortum trahere, & quidem maxima veritatis specie negabis.

15 Sed & hic quaestione quadam tibi occurrere possum.

IV. His praemissis, quod 1.) aqua si cum massa ex sulphure et pulvere ferreo facta, vel cum calce viva &c. misceatur, ignem, immo flammam excitet: quod igitur 2.) fide sit dignissimum, ignem subterraneum, ex Oceani mistione cum tali materia facile inflammabili, oriri, ut &, experientia teste, productus maris, ex montibus ignivomis evomuntur: quod denique 3.) flamma, sine praexistentibus

20 particulis igneis concipi nequeat: His praemissis, inquam, quaero, anne eadem & majore specie veritatis, adfirmarem: particulas istas igneas, primo a sole haustas, deinde cum materia (ut barbare loquar) supratherestri, vel aqua, vel aërea, vel

30 alia infra terram delatas, vehementiusque motas, materia sui capaciore reperta, in flammam abiisse: ac adseverarem, particulas istas igneas, in principio una cum ferro creatas, tot saecula quievisse, nullumque plane sui effectum monstrasse; donec

35 certo momento, non sine aquae ope ardere incipissent? Sane quum sacer codex, altum de creatione ignis subterranei servet silentium; quum pro secundo ex historia naturae certum sit, particulas igneas, motu, ex uno corpore in alterum transire:

fide, mea sententia, est dignissimum, cas ex eo oriri corpore, in quo facillime ante motum concipi possunt.

V. Qvæstio est, an, sub statu integritatis, ante maledictionem terræ, immo ante diluvium, magnasque eo in terra factas convulsiones, ignis unquam sub terra sit accensus? Resp. Silentium Scripturæ, ingensque terræ concreta perfectio & fertilitas, huic qvæstioni, negative respondere videntur.

VI. Si porro fides eis sit habenda, (qvod ad ignem culinarem attinet) qvi sebum, sulphur, lignum cetera paucis omnes materias inflammabiles, totas ex particulis igneis constare, adfirmant, qvæ simul ac ignem adspirant, in suam essentiam, in flammam abeunt, duplex hinc oritur qvæstio

1.) Si omnes materiæ inflammabiles, ex partibus mere igneis constant, cur non nisi admotâ flammâ in flammam abeunt? Cur non ad minimum lente consumuntur? Vid. supra. Cur qvædam eorum ut sebum cetera semet ipsas, licet in æternum motæ accendere nequeunt? Nonne ratio ista valere posset: Qvia, qvum neque dura sint neque elastica, satis resistentiæ non habent, ad determinandum, igneas particulas ex aëre prodeuntes?

2.) Si ad materiam inflammabilem, particulas igneas, in ipsa materia præexistentes requirimus; inde hoc dubium oriretur. Universa terra, omnesque ejus partes, vel continent particulas igneas vel non. Si continent cur qvævis materia in flammam abire nequit? Si non continent, qvomodo igne cuncta peritura esse adfirmant sacri vates? Igne supra naturali sine dubio; sed & hic contradictoria efficere nequit. Sane his ambagibus, ut credo, opus non esset, si vel ligno vim attrahendi particulas igneas ex aëre, vel igni vim mutandi particulas ligneas in igneas, tribueremus, vel si aliis modis caveremus, ne totam terram nostram daremus igni.

VII. Qvæ ad Consummationem Sæculi attinet

est Qvæstio seqvens: Si certum est, elementa æstuantia esse solvenda ab igne II Petr. III, 10. Si contra certum est, ignem esse dissolvendum elementum; an justa sit ista locutio: Ignem ab igne dissolvi et annihilari? Vana quidem, inanis & superflua quamplurimis videbitur hæc qvæstio. Suam tamen habet utilitatem. Ad minimum scilicet, contra Scholasticos evincit, sæcula igne supra naturali esse consummanda. Naturalis enim ignis, ignem consumere nequit. Huc quoque facit qvæstio ista; quo particulæ ignis evanescentis abeant? Si certum est flammam suas habere particulas easque igneas, quæ flamma crescente, vel decrescente, vel plane extincta, locum tamen requirunt, siquidem naturaliter annihilari nequeant; certum quoque est eas iterum novo igne esse comburendas. Si hic quoque fuerit naturalis, alius iterum requiritur; & sic usque ad supra naturalem ignem regrediamur, oportet. Sed satis de his qvæstionibus, utpote Physicam maxime spectantibus. Meæ sunt, ut sæpius fassus sum, non assertiones, sed qvæstiones, quas solvendas, viris, me melius in Physica versatis lubentissime relinquo. Unum addo: Mosen, in recensione rerum creaturarum specifica, de creatione ignis, a cœlesti diversi, mentionem facere plane nullam, quum tamen, si adsit, si quarti elementi nomen increatur, mentionis fuisset dignissima.

VIII. Qvod vero ad historiam creationis attinet, duas adhuc qvæstiones, notatu satis dignas, huic sectioni non addere non possum. 1.) Qvomodo Adamus, vel in Paradiso, vel postea primum ignem accendit? An chalybis, an vitri caustici ope? Sed & hæc, teste experientia, sine igne præparari nequeunt. 2.) An Adamo, in statu integritatis igne opus fuit? Neque adfuit frigus, quod igne fugaret; neque iste erat, qui coctis cibis vesceretur; neque omnibus in rebus, procul dubio, vigens ordo, ulla, præter lunam lumina, Sole absente, exegit. Si sacrifi-

cia forsitan Eucharistica facienda forent; Deus, pro more suo, igne miraculoso ea potuit accendere. His quoque æquo Lectoris mei iudicio relictis, ad alteram Pyrologiæ meæ sectionem propero, quæ agat de impropriis ignis in sacro codice significationibus.

## SECTIO II

DE IMPROPRIIS IGNIS IN SACRO CODICE  
SIGNIFICATIONIBUS

Pro diversis ignis qualitatibus, de objectis plane diversis quoque a sacris vatibus enuntiatur. Immo, quemadmodum nullius rei usus & abusus effectus habet tam contrarios ac ignis; ita quoque objecta non solum diversa sed & sibi invicem opposita, in sacro codice cum igne comparantur: Id, quod cuilibet ex sequentibus patebit.

I. Ignis, quatenus est elementum omnium purissimum, ipsi Deo tribuitur, utpote enti purissimo pariter atque sanctissimo, Deut. IV, 24. Es. XXXIII, 14. Ebr. XII, 29.

II. Quatenus ardet, omnemque materiam inflammabilem, ut ita loquar indefesso amore amplectitur; Dei filius, igni assimilatur utpote ardente amore homines prosequens. Cant. VIII, 6. et 7.

III. Spiritus Sanctus quoque ob præcedentes ignis qualitates, ignis vocatur. Luc. III, 16. Act. II, 3. Es. IV, 4. I Cor. III, 13. Apoc. IV, 5.

IV. Sancti Angeli, flammæ igneæ appellantur, idque ob ignis puritatem, vehementiam, celeritatem cet. Ps. CIV, 4. Ebr. I, 7. Seraphim quoque quidam eorum nuncupantur, Es. VI, 2. quod nomen commune habent, cum serpentibus istis ignitis, qui Israëlitis in deserto lethalia vulnera infixerunt Num. XXI, 6. & cum serpente aeneo v. 8. conf. Deut. VIII, 15. Rex Ezechias, tali serpenti quoque comparatur, Es. XIV, 29. Serpentes hi vocantur igniti vel ardentes, ob effectum morsuum eorum, qui fuit inflammatio vulneris. Ægyptii ignem sub nomine Seraphim coluerunt.

V. Verbum divinum quoque cum igne comparatur, idque ob vim, quam habet illuminandi, inflammandi & renovandi corda hominum, & consumendi adversarios veritatis. Jer. V, 14. C. XX, 8, 9. Apoc. XI, 5. Luc. XII, 49. Act. II, 3. Joh. XII, 48 &c.

VI. Ob vehementiam atque crudelitatem ignis significat 1.) Iram, vindictam, justitiamque Dei vindicativam. Exod. XV, 7. Deut. XXXII, 22. Job XV, 34. XXII, 10. Ps. XI, 6. Ebr. X, 27. Jac. V, 3. Apoc. XIV, 18. C. XX, 9. cet. 2.) crucem quamvis & tentationem, periculum, miseriam, calamitatem & cladem. Ps. CXL, 11. Es. XXIV, 15. Zach. XIII, 9. Luc. XII, 49. Apoc. VIII, 7. C. XV, 2. cet. 3.) desolationem, perniciem, interitum & ruinam Ezech. V, 4. Hos. VIII, 14. Apoc. XVII, 16. XVIII, 8. Es. XXXIII, 11. 4.) bellum. Num. XXI, 28. Jer. XLVIII, 45. Es. I, 7. Ps. LXXVIII, 63. cet. Qvicumque plura dicta ad hæc illustranda desideraverit, hunc missum volumus ad Schmidii Bibl. Physicum. Cap. de Igne

20 p. 142.

VII. Lingva venenata quoque cum igne comparatur, idque vel ob formam flammæ mortiferarum, vel ob formam aculeorum præsterum, vel, ut rectissimum, ob ruinam quam sæpissime & igne & lingva allatam. Prov. XVI, 27. XXVI, 20. Jac. III, 5. 6. Ps. CXX, 3. 4.

VIII. Ob dolorem in corpore humano igne excitatum, plane vehementem; anxietas animæ & mala conscientia quoque ignis vocatur Ps. XXXIX, 4. II Cor. XI, 29. I Tim. IV, 2. Qvæstio hic est ad Exegesin pertinens, & haud parum ad Articulum istum de igne infernali factens: Qvomodo optime evincatur differentia inter ignem, cujus his in locis fit mentio, & inter ignem, de quo sermo est, ubi loquitur de igne infernali?

IX. Ob colorem ignis rubicundum, facies rubens, sive iracundia, sive pudore, sive dolore rubescat, quoque vocatur facies ignea. Deut. IX, 6. Ps. XXXIX, 4. LVII, 5. Es. XIII, 8. Huc pertinet locu-

tio ista biblica. Prov. XXV, 21. Carbores candentes in caput hostis sui congerere, quod nihil aliud est, ac pudorem & dolorem de patrato malo in eo excitare.

X. Ignis vocatur amor & licitus, Cant. VIII, 6. <sup>8</sup> conf. Matth. XXIV, 12 & illicitus I Cor. VII, 9.

XI. Ignis denique vocatur, quodcumque præclara specie est donatum, quum, teste experientia, color igneus, cunctis sit verior, cunctis præstantior. Job XVIII, 5. Mich. VI, 10. Es. L, 11. Ne vero præter opinionem, longus nimis sim, his missis, quæcumque de sectione tertia, de pœnis igneis dici possunt, absolvam, prout poterò, brevissime.

### SECTIO III

DE PŒNIS IGNEIS, QUARUM MENTIONEM  
FACIT SACER CODEX

15

De pœnis igneis, quas Judæi magistratui suo politico dederunt, hic nullus mihi erit sermo, quum inter historiam Judaicam & sacram distinguat scopus meus. Uti vero ira atque vindicta divina, <sup>20</sup> devastatio, pernicies, calamitas, bellum, aliaque judicia Dei punitiva, sæpissime, in sacris literis, ignis nomine veniunt (ut videre est ex dictis ad Sect. II. §. VI. allatis) ita specialiores quoque pœnas quasdam, enarrat historia sacra, quæ quum a <sup>25</sup> Deo, immediate de hominibus sint sumtæ, ad rem nostram faciunt. Inter has eminent:

1) Incendium istud Sodomiticum, in multis tragicum. Quodsi ipsam imbris hujus sulphurei essentiam atque naturam spectes, varia habent, <sup>30</sup> quæ diutius perpensa, digna evadunt, quæ notentur. Sunt enim, qui sentiunt, eum fuisse materiam ex sulphure, pice & sale commistam, flagrantem, quæ copiosissime ex cælo in Sodomam defluxit. Addunt: tonitrua & fulgura adfuisse, ignem sub- <sup>35</sup> terraneum, totaque ex terra emanantia picis ardentis flumina, suum ad hoc incendium fecisse, fide esse tam dignum, quam quod dignissimum.

Sunt etiam, qui imbrem istum, non nisi vehementia fulgura fuisse adfirmant, quæ, quum in regionem istam, pice aliisque materiis facile ardentibus repletam descenderent, urbes hasce, cum pagis suis in fumum miserunt. Certum sane est apud Hebræos, Sulphur & ignem, nihil aliud ac sulphur accensum, sulphur accensum vero tonitrua cum fulmine commista indicare. Frequens eis est & familiare, duo substantiva, tanquam diversarum rerum symbola conjungere, quum tamen alterum adjectivi significationem induat. Ita Gen. I, 26. imago & similitudo (imago valde similis). Jer. XXIX. Dabo vobis finem & expectationem (finem expectatum). Quæstio alia est, dilutius inter doctos agitata, quid sibi velit istud v. 24. Dominus pluere fecit ignem & sulphur a Domino de cælo. Quid, hac de re, sentiant Rabbini Aben Ezra & Salomon, quid Christiani interpretes, quid concilium Sirmicum, qui legere voluerit, eum, quum ad rem nostram nihil faciat, missum volumus, ad Theodorum Hackspan(b), qui his de controversiis pluribus agit.

Certum est & profanos historicos incendii hujus monumenta nobis reservasse. Cornelius Tacitus & Philo, suis adhuc temporibus, vestigia ejus agnoverunt. Ex antiquis, Diodorus Siculus, Plinius, Strabo, ex recentioribus Bisselius plurimique, qui ista loca peragrarunt, Mare Asphalticum nobis descripserunt. Conf. Lib. Sap. X, 6. Quas ob causas, & Juda Apostolus Ep. v. 7. ignem Sodomæ, ignem æternum appellat.(c)

Reliqua est adhuc una in hoc incendio quæstio problematica, dignissima, quæ notetur: An scilicet Sodoma & Gomorrha reliquæque planitie urbes, ad florentem suum statum unquam revocabuntur? Ezech. c. XVI, 52—55, quæstioni huic ansam præbuit. Quid hac de re sentiant Judæi allique & quomodo paradoxæ eorum sententiæ refellantur,

(b) Theod. Hackspan, Not.Theol. et Philol., p. 210, T. I. in Gen. XIX, 24.  
 (c) Calmet. in Gen. XIX, 24. p. 429.

de eo evolue Hieronymum(d) Willalpandum(e) Hermannum Witsium(f) aliosque, qui pluribus de eo disserunt.

II) Post Sodomitas, Nadab & Abihu Aaronis filii, primi vindictæ divinæ ejusmodi pœnas dedere. Ignis à Domino erupit, eosque consumsit, ut coram Domino obirent. Ita Moses Lev. X, 2. Hic notatu dignæ veniunt duæ, quæ sequuntur, quæstiones. 1) Qvalis fuerit ignis, quo necati sunt? Resp. Talis fuit, qvallis est tonitru, qvod in solida tantum, nec in rimis repleta corpora effectuose operatur. Illæsis enim, ut ex historia patet, vestibus, corpora non tam combusta, quam suffocata reliquit. An immediate de cœlo, an ex ipso thuribulo egressus sit ignis, sub judice iis est. 2) Qvodnam fuerit delictum Nadabi & Abihu, tam acerba morte dignum? Hac de quæstione, licet ad Pyrologiam nihil faciat, pauca tamen non monere non potui. Sunt, qui eos, sub ipsis sanctissimis actionibus, ebrios fuisse, existimant, idque ob istam, quæ pœnam eorum subsequitur admonitionem ad Aarone[m] & reliquos filios ejus Lev. X, 9. 10. Sunt, qui sentiunt, eos in sancta sanctorum irruisse, id, qvod ex collatione primi & secundi versus Lev. XVI. colligunt. Sunt denique, qui putant, eos vices summi sacerdotis, nulla nisi sua auctoritate suscepisse, in Sanctum intrasse, eoqve hanc pœnam meruisse delicto. Inter hos eminet Mr. le Clerc. Nobis certum est, magnum satis fuisse peccatum Nadabi & Abihu, licet in sola oblatione ignis alieni quæretur, nam(a) Si contuleris Lev. IX, 24, et VI, 12; distincta Dei, de igne æterno, ad sacerdotes mandata leges. Lev. XVI, 12. Deus suffitum, quem in sancta sanctorum portaret sacerdos, hoc igne accendi jubet. 2) Id qvod Lev. X, 1. dicitur: Ignem alienum attulerunt, qvod non jussum erat eis, idem

(d) Hieronym. T. V. in Ezech. XVI, 33. p. 432.

(e) Willalpand. in Ezech. XVI, 53. p. 60, 61.

(f) Hermann. Witsii Meletem. Leid. Comment. in Ep. Jud. v. 7, p. 475 & 476.



est, ac, quod prohibitum erat eis conf. Jerem. XXXII, 35. 3) Quo grandior persona, eo gravius est delictum, idque ob scandala commissa. Reliqua, quæ hac de re disseruntur, sunt curiosa, superflua & αἰσχροῦ.

III) Num. XI, 1. Israëlitarum contra Deum murmurantes, igne puniti sunt. Ignis Domini (ita Moses) inter eos arsit & partem eorum, qui in cornubus, consumsit, & postea v. 2. ignis extinctus est. Ardere istud & extinguere, quum in communi sermone fulmini proprie non tribuantur; ignem hunc a fulmine quidem diversum arguimus, qualis vero fuerit, quum αἰσχροῦ sit, pronuntiare nequimus.

IV) Num. XVI, 35. & XXVI, 10. Ab Israëlitis, Korah ejusque asseclæ proximi igni huius meritis seditionis suæ pœnas dederunt. Variæ hic oriuntur quæstiones: Cujus generis e. g. fuerit delictum eorum? qualia & unde desumpta fuerint ea, quæ attulerunt thuribula? cet. Notatu dignior, meo iudicio, est ista: Quoniam mortis genere ipse Korah sit affectus? Moses quidem, v. 18. Korah cum ducentis & quinquaginta sociis suis coram tabernaculo stetisse affirmat. v. 26 plebem a Korah, Dathanis & Abirami tentoriis a terra devorandis abigit, & v. 32. Dathanum & Abiramum, una cum cunctis, quæ Korah fuerunt, ad tartara descendisse, tradit. An vero ipse Korah igne sit combustus, an a terra absorptus, expressis verbis, nihil ait, nihil negat. Neque Davides Ps. CVI, 18. reliquorum pœnam enarrans, Korah verbo mentionem facit. Veteres historici, pariter ac recentiores, hac de re varia sentierunt. Nobis, in materia ad nostrum nihil faciente, certum est ἐπέχειν, in primis, quum persuasum nobis habeamus, hoc dubium, nunquam cunctis suffragiis esse tollendum. Quod ad Quæstionem: An cuncti filii Korah a terra absorpti sint? attinet, hanc negandam esse nullo negotio videbis, si 1 Chron. VI, 22. 37. IX, 19. si 2 Chron. XX, 19. si denique inscriptiones Psal-

morum XLII, XLV, XLVII, XLVIII, XLIX, LXXXIV, LXXXV, LXXXVII et LXXXVIII conferes.

V) 2 Reg. I, 10. 12. 14. Duo centuriones, cum centum militibus, Eliam ad Ahasiam regem protracturi, igne cœlitus delapso necati referuntur. Conf. Luc. IX, 54.

VI) Hæc, & si aliæ quædam pœnæ igneæ in sacro codice enarrantur, certe non nisi typi ignis istius dici merentur, quo, teste S. Scriptura, in æternum cruciabuntur mali angeli pariter ac animæ damnatorum Conf. Es. LXVI, 24. Matth. III, 12. V, 22. VII, 19. XIII, 42. 50. XVIII, 8. 9. XXV, 41. Marc. IX, 43. 48. Luc. III, 9. 17. Joh. XV, 6. Ebr. X, 27. Jud. 7. 23. Apoc. XIV, 10. 18. XIX, 20. XX, 10. XXI, 8. De igne hoc ejusque indole varia diu inter doctos sunt agitata.

1) Fuerunt, qui ignem hunc plane negarunt, inter quos notentur:

α) Origenes, qui (teste Hieronymo in epistola ad Avitam) Lib. 2. περί σφγων docuit: ignem, vermes & reliqua inferni tormenta, quorum mentionem facit Sacer Codex, in sola peccatorum conscientia esse quærenda.

β) Cochletius Carmelita Doctor, Parisiensis, in scripto adversus Poliandrum.

γ) Dicam hanc Calvino quoque scribit Bellarm. Lib. IV. de Eccles. c. 9. Hæres. 3.; a Mortono & Poliandro refutatus.

δ) Doctores Misericordiæ it. Sociniani, qui damnatorum in inferno annihilationem statuunt. V. Schertz. in Colleg. Anti-Socin. p. 143. sqq.

ε) Veteres Psycho-Pannychitæ, qui animas post mortem stertere putabant.

2) Fuerunt, qui non ignem non vermes solum, sed ignem materiale, corporeum, visibilem & elementarem, vermesque corporeos in inferno adesse asseruerunt; Inter hos clari sunt:

α) Ex patribus, Tertullianus, Augustinus, Gregorius &c.

β) Ex Pontificiis Bellarminus, Gregorius de Valentia, Maldonatus, Barradius.

γ) Ex Calvinianis Zanchius, Kekermannus, Alstedius cet.

<sup>5</sup> 3) Fuerunt, qui ignem infernalem, invisibilem, incorporeum, omnisque materiae expertem esse judicarunt, quorum praecipui sunt

α) Ex Patribus Ambrosius, Chrysostomus, Damascenus.

<sup>10</sup> β) Ex Calvinianis Junius: Tilenus, Rainoldus.

4) Sunt denique, qui malunt ερεχειν, quam certi aliquid statuere.

Hic vero, ne forsitan reditus excedant sumptus Typographici, subsistendum. Quod de tertia reli-

<sup>15</sup> quum est & quartam, de igne sacro, vel sequente anno, vel alia data occasione absoluam:

Si Deus voluerit & vixerimus.

LYKKENS TEMPEL  
EN DRØM  
(1764)

JEG befandt mig i NØISOMHEDS BOELIG, et Sted, som de to Himlens Døttre, EUSEBIA og ARETE, besynderlig elskte, og selv havde givet dette Navn. Det var beliggende paa en stille og eenlig Høi, og bestoed af nogle ringe og næsten øde Hytter, hvis faa Beboere feilte alt det, som tiener til Bequemmelighed og Forlystelse, uden at savne noget deraf. Enhver Besværlighed giordes dem let ved AKRETS venlige og indtagende Opmuntringer, og fornemmelig ved det Haab, som hendes mere alvorlige Søster stedse underholdt hos dem, at de snart skulde forflyttes til et andet Sted, hvis Herlighed hun ikke noksom kunde berømme. Hun kaldte det den EVIGE LYKSALIGHEDS TEMPEL. Det laae, efter hendes Sigende, øverst paa et høit og langt bortliggende Bierg, hvis Top var ganske bedækket med lyse Skyer. Skjønt Øiet ikke blev der nogen Bygning vaer, saa troede dog enhver Eusebias guddommelige Anseelse og kraftige Forsikringer. Hvad mig angaaer, da gjorde vel i Begyndelsen alt det, som jeg her saae og hørte, ikke lidet Indtryk i mit unge Hierte: men jeg klededes snart ved de Besværligheder og den Mangel, som Stedets Beskaffenhed førte med sig. Dette havde alt gjort noget Skaar i Virkningen af Eusebias Løfter hos mig, da den ganske svækkedes ved et Syn, som drog min hele Opmærksomhed til sig.

Neden for i en Dal, som visede de yndigste Afvexlinger paa alt det, som kaldes skjønt og behageligt i Naturen, henrykkede en Bygning alle mine Sandser. Den syntes i Prægtighed uden lige. Det Glimrende, hvormed den var bedækket, det Yndige og Kostbare, som omringede den, havde allerede fortryllet mine Tanker, førend EUSEBIA sagde mig, at det var LYKKENS TEMPEL.